Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



161

rens Burghardus fuit Comes de Moosburg, frater Bertholdi) et amicis meis, ego quidem in Dei nomine Bertoldus Episcopus, filius quondam Purchardi (scilicet senioris) qui professus sum ex nacione mea lege vivere Bawariorum, sed nunc propter Ecclesiastico -- Romana, amicus bene cupiens atque donacione infrascripta dedi castrum Attens et recepi bonum Launechild. Alii Bertholdus electus, sed nunquam confirmatus Episcopus Salisburgensis, Comes de Moosburg et Attemsii dominus fuit. Permutatio tamen ista, de qua instrumentum, non habuit effectum, quia Bertholdus eodem anno 1106, vel sequentis initio obiit. Sic castrum Attemsium Burghardus junior Bertholdi frater retinuit, bonum vero Launechild penes Machtildem remansit usque ad annum 1122: quo illud pro aliis bonis cessit matri suae Aeticae, uti supra patebit ex instrumento Aeticae. Itaque Conradus et Machtildis conjuges convixerunt ab anno 1106, vel ante, usque ad annum circiter 1125: quo Conradi jam defuncti mentio fit in instrumento (apud Rubeis C. 63) de referente annum 1112, Indictionem III (qua Indictio vidual annum 1125, qui etiam rationi temporis magis congruit). Eo instrumento Machtildi, filia quondam Purcardi res a se venditas Petro Presbytero, ab hoc ipso restituuntur in perpetuum: filiique omnia, quae ex ipsa habere vel detinere visa est in toto regno Italico, in Bavaria seu Carintia, atque Forojulii vel ubicumque ei pertinet aut pertinere debet juris sui. In eodem instrumento Conradus ex Machtilde filios et filias reliquisse dicitur.

VI. De his conjugibus ait Rubeis Mon. Aquil. C. 63. n. 6. Conradum et Matildem, facile dixerim principales majoresque Castelli Attemsii aliorumque locorum dominos, quae Bertoldus Episcopus et Aetica dono dederant. -- Praecellentior Mathildis nobilitas per se ipsa patet, cum filia fuerit Purchardi Marchisi. -- Conradi genus familiamque ignoramus. An inter Bavaros Dynastas asciscri debeat, qui Mathildem filiam Aeticae Bavarae foeminae uxorem duxerit? Filiorum, quos Conrado genuit Mathildes, nomina latent. Haec quidem Rubeis. Sed inquiramus